









20

1732, 19

FACULTATIS JURIDICÆ  
DECANVS,  
JOANNES PHILIPPVS  
**Streit**, JCVS,

EMINENTISSIMI AC SERENISSIMI PRINCIPIS  
ELECTORIS MOGVNTINI CONSILIARIVS  
REGIMINIS,

L. B. S.

---

ERFORDIÆ,  
LITTERIS HERINGIANIS, ACAD. TYPOGR.



EMINENTISSIMI AC SERENISSIMI PRINCIPIS  
ELECTORIS MONTANI CONSILIARIVS  
REGINIVS  
JOHANNES PHILIPPVS  
DECANVS  
FACVLTATIS IVRIDICÆ

L. B. &

---

LITTERIS MERINGIANIS, ACAD. TYPOG.





**E**mptionis & venditionis perfecta effectus est, quod venditor obligatus sit rem venditam tradere, id est, vacuum possessionem, non etiam dominium transferre. *L. 25. §. fin. ff. de contrab. emt.* emptor autem pretium dare, id est, accipientis facere. *L. 1. ff. de rer. permut. L. 7. Cod. de act. emt.* sed id varias admittit limitationes & exceptiones, indeque varia oriuntur controversia; controvertitur enim, an rescindi possit venditio facta cum decreto iudicis, propter lationem ultra dimidium, affirmant multi allegati ab *Andrea Fachin. contrar. lib. 2. cap. 20.* probantque hanc sententiam ex *L. siquidem Cod. de praediis minor.* ubi dicitur, minorem adversus venditionem esse restituendum, si fuerit latus in pretio, licet cum decreto iudicis facta fuerit venditio. Insuper probant hac ratione: Ecclesia ultra dimidium lata in contractu, actionem habet ad illum rescindendum. Ut patet ex *cap. cum dilecti, & ex cap. cum causa X. de empt. vend.* & tamen id intelligi oportet, de venditione facta, solennibus juris adhibitis, alioqui non valeret. Ut in toto titulo de reb. Eccles. non alien. & in *Extravag. ambitiosa. eod.* ergo nihil prohibet, quo minus idem statuendum sit in aliis contractibus, etiam solenniter factis, & cum iudicis autoritate. Porro probant, quia hoc operatur iudicis decretum, ut contractus praesumatur recte & rite celebratus: verum



hæc præsumptio cedere debet veritati: consequenter si apparet de læsione & iniustitia, cessare debet illa præsumtio & decreti efficacia. Alii contrariam sententiam habent, quos *idem Fachin. dist. cap. 20. allegat.* Eorum fundamentum est in *L. 1. Cod. de præd. Decurionum lib. 10.* & in ea juris regula, quæ docet, ubi iudicis decretum intervenit, omnia præsummi solenniter acta, sunt, qui concedunt, contractum bonæ fidei ex defectu consensus esse nullum, si dolus ei causam dederit: dicunt enim, eum qui contrahit, non absolute, sed conditionate duntaxat consentire, si videlicet omnes circumstantiæ, quæ ad contrahendum impulerunt à parte rei subsint: ergo si vel una ex iis deficiat, jam etiam consensum deficere, ac per consequens contractum ex hac ratione esse planè nullum. Verum hæc doctrina aliis non sapit. Si enim is, qui contrahit, omnibus iis circumstantiis, quibus ad contrahendum movetur, intentionem suam censetur allegare, evidenter sequitur, omnes istas circumstantias esse contractus substantiales. In contractibus etiam stricti juris non censetur intentio contrahentium alligata iis circumstantiis, quæ ad contrahendum movent: similiter igitur in contractibus bonæ fidei non censeri debet intentio contrahentium alligata iis circumstantiis, quæ ad contrahendum moverunt. Non obstat, si dicas, si contractus bonæ fidei, cui dolus accidentaliter causam dedit, ipso jure foret nullus, tunc ideo, quia dolus faceret deficere consensum ad ejus substantiam essentialiter requisitum. non enim ideo contractus bonæ fidei, quibus dolus causam dedit, sunt planè nulli, quod dolus excludat consensum, ad eorum substantiam requisitum, sed quia hujusmodi contractus lege positivâ

ex-



expressâ reperiantur irritati. Ulterior controver-  
sia est: ubi inter emptorem & venditorem est con-  
ventum, ut si ultra dimidium læsio contigerit, ju-  
stum pretium suppleatur, an rescindi contractus  
possit ex *L. 2. Cod. de Rescind. vend.* Non posse cen-  
suerunt à *Fuchin. d. cap. 20. allegati*, cui contraria  
sententia videtur probabilior. Porrò controverti-  
tur, si emptor invenerit thesaurum in re venditâ,  
an venditor ultra dimidium læsus, agere possit, ita,  
ut thesauri ratio habeatur, propter quem res pro-  
cul dubio pluris æstimanda est? & habendam esse  
rationem thesauri ejusmodi Respondent aliqui ad  
*L. si quis cum aliter. ff. de verb. oblig.* quia in judican-  
dâ læsione ratio habenda est æstimationis rei, se-  
cundùm tempus contractus celebrati. *L. si volunta-  
te 8. Cod. de rescind. vendit.* licet occulta sit hæc  
æstimatio, & minimè patens, *L. non intelligitur, §.  
Divi fratres ff. de jur. fisci.* & quia contractus vendi-  
tionis & locationis sunt similes, *L. 2. ff. locat.* in lo-  
catione verò receptum, ut pensio sit augenda,  
si conductor maximum lucrum sentiat, ut notat *gloss.*  
in *L. si merces §. vis major. ff. eod.* sed contrariam do-  
cent alii. Nam thesaurus à venditore non possi-  
detur, cum ignoraret ubi esset, & omnino illum in  
potestate non haberet. *L. 3. §. Nerva. seq. ff. de acq.  
pssess.* Porrò controvertitur, an renunciatio tollat  
actionem ex *L. 2. Cod. de rescind. vend.* Generalem  
renunciationem non obesse venditori, docet *Covar.*  
*lib. 2. var. resolut. cap. 4.* alii contrarium respondent.  
Specialem autem renunciationem obesse, disertè  
docuit *Bart. ad L. si quis cum aliter. circa fin. ff. de verb.  
oblig.* & alii, quos allegat. *Covar. dict. cap. 4. quibus addi  
possunt alii ab Ant. Gabr. citari commun. conclus. tit. de  
empt. vend. conclus. 1. n. 92.* & ex eo probatur, quod



Noni /  
juri suo quilibet renunciare possit. *L. pen. Cod. de pact. & renunciandi non datur regressus. L. quaritur, §. si venditor. ff. de adilitio edicto.* Non obesse contendunt alii, ex hoc fundamento, quod renunciatio exceptionis doli, aut simularietus, in instrumento contractus adjecta, renunciandi non obstat, & ejusmodi renunciaciones contractibus & instrumentis inserantur plerumque ex stylo potius communis Notariorum, quam ex mente contrahentium. Insuper controvertitur, utrum venditori scienti justam rei aestimationem, actio competat ad contractum rescindendum, si ultra dimidiam laesus fuerit, & communis est sententia non competere, quia scienti & consentienti non fit injuria, *cap. scienti de R. I. in 6. L. non videtur. ff. de R. I. L. 1. §. usque adeo ff. de injur. cui accedit textus in L. domum ff. de contrah. empt. in illis verbis: simili quoque modo tractari oportet, ubi venditor quidem sciebat, emptor autem ignorabat, hic enim oportet & venditionem stare, & omne pretium ab emptore venditori, si non depensum sit, salvi.* A parte hujus sententiae stat textus in *L. 1. Cod. si major fact. alien. fact. sine decreto rat. hab.* ubi ei demum, qui inconsulto errore lapsus est, in hac laesione succurrendum licentiae rescribit Imperator Gordianus. *Arnold. Vinn. select. quest. libr. 1. q. 56.* Sed contrarium docent alii, quorum sententiam jure defendi posse fateretur Covarr. *dict. cap. 4. n. 2.* Etsi enim venditor justam aestimationem rei suae non ignoraverit, humanum tamen est, ut ei succurratur, qui forte necessitate adactus vendidit, aut astutia emptoris deceptus fuit. Denique vix locus esset legis beneficio, si venditori scientia noceret. Praesumitur enim scire rei suae aestimationem. *arg. L. Quisquis 15. Cod. de rescind. vend.* quam legem pro lectione cursoria elegit  
NO.



NOBILISS. ET CLARISSIMVS

DN. DANIEL Ehrenreich RODIG,

Natus die XXI. Julii MDCCVII. Camentii hexapolis Lusatia superioris. Patre JOHANNERODIG, Regio Electoralium Accisarum, quæ ibidem præstantur collectore altero: CHRISTOPHORI consimilis nominis, prædiorum quorundam nobilium conductoris filio, inter septem, natu majore; Matre verò SVSANNA, CHRISTOPHORI STEIN, Præfecturæ Droyßigienfis administratoris filiâ natu majore. Hisce majoribus, & patre imprimis ab incunabilis inde privatus, postquam mater ad secunda transierat vota, privatæ tradebatur curæ Reverendissimi Viri M. JOH. GODOFRED. LESSING, jam Archi-Diaconi urbis patriæ ecclesiæ meritißimi usque ad annum XIV. ex quo primis literarum fundamentis non sine successu positis Sereniss. ac Potentiss. Regis clementia illustre Lycaum Misenenfe adire, ibique præstantissimorum Virorum M. MARTII, R. M. SILLIGII, CR. M. GRABNERI, & M. KAVDERBACHII, Præceptorum ætatem devenerandorum, indefesso prope labore, KAVDERBACHII, imprimis, quem Patris loco ad huc colendum feliciter contigit, ad studia elegantiora progredi licuit. Inde demum post annos sex penitus fere elapsos, more sueto, habita prius, *de commodis ex vita eruditorum ἀπεκκτο ad rempublicam reduntantibus*, oratione honeste dimissus, superioribus, quas vocant, disciplinis operam navaturus, Lipsiam petiit M DCC XXVII. inque studiosorum numerum, Rectore Magnifico PLATNERO, P. P. legitime receptus, philosophiæ primum, Sapienßiss. Viris RVDIGERO & HOFFMANNO DD. fideliter præeuntibus, legiti-  
ma



ma deinde scientiæ, illustr. GRIBNERI, GEBAVE-  
RI, MULLERI, REICHELII atque BAVERI ductu,  
totum se dedit. Cujus industriæ, ut publicum pro-  
deret specimen, Magnif. Jctorum Ordin. Lips. con-  
sensu, antequam abiret, Præside D. REICHELIO,  
in cathedram conscendit, differens de RECON-  
VENTIONE ANTE CONVENTIONEM, IN FORO  
SAXONICO INSTITVENDA, ad examen postea  
pro praxi, & Notarii publici consequendo munere  
progressurus, quod & divinis auspiciis Anno  
MDCCXXXI. contigit feliciter. Tandem nos ac-  
cessit, & ad consuetum examen Dominorum Can-  
didatorum admitti decenter petiit, petitioni huic  
annuimus &, more consueto, ex utroque jure tex-  
tus, in rigoroso examine resolvendos, eidem trans-  
misimus, quos tam exactè resolvit, & ad quæstio-  
nes propositas tam solidè respondit, ut ad ulterio-  
ra specimina edenda admissus, supremisque jurium  
honoribus unanimi consensu dignus judicatus sit.  
Quare proximâ die martis, quæ erit VIII. Aprilis,  
horis consuetis, ad *dist. l. 15. Cod. de rescind. vendit.*  
lectionem cursoriam, eâqua finitâ, Disputationem  
Inauguralem DE JURE PRIVATORVM CIRCA  
SILVAS, IMPRIMIS CÆDVAS ADMODVM RE-  
STRICTO, habebit. Ad quos actus solennes Ma-  
gnificus Dominus Reclor, nec non Domini Proce-  
res & Cives Academici perhumaniter invitantur.  
Publicatum sub Sigillo Facultatis Juridicæ VI. Apri-  
lis M DCC XXXII.

(L. S.)



Erfurt, Diss., 1732


ULB Halle 3  
005 355 680




V  
D  
18











20

1732, 19

FACULTATIS JURIDICÆ  
DECANVS,  
JOANNES PHILIPPVS  
*Streit*, JCTVS,

EMINENTISSIMI AC SERENISSIMI PRINCIPIS  
ELECTORIS MGVNTINI CONSILIARIVS  
REGIMINIS,

L. B. S.

---

ERFORDIÆ,  
LITTERIS HERINGIANIS, ACAD. TYPOGR.

